

potestas per assignationem Subditorum, vel legitimam deputationem ad exercendum munus spirituale, sine qua actus jurisdictionis in foro sive interno, sive externo nulli sunt. Quae de re Tridentina Synodus Can. VII sess. 23 definivit. « Si quis dixerit eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum Ministros, anathema sit. » Duo itaque requiruntur, et ordo, et legitima missio, quorum primum per sacram Ordinationem, alterum per legitimam subditorum assignationem obtinetur. Quod vero ad forum internum pertinet, eadem Synodus sess. 24 cap. 7 decrevit. « Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. »

Itaque ad aliquos actus Ordinis potestas Jurisdictionis necessaria est: de reliquo non ita jurisdictio cohaeret potestati Ordinis ut ab ea sejungi non possit. Vicarius generalis qui Episcopi vicem gerit in administranda Dioecesi, potestatem Jurisdictionis tenet, non autem Ordinis: contra vero Episcopus titularis, qui dicitur etiam Episcopus in partibus infidelium, cum in consecratione characterem Episcopalem receperit, potestatem Ordinis habet, potestate vero Jurisdictionis, cum nulli sibi subditi sint, omnino privatur.

Post S. Pontificem et Episcopos sunt varii in Ecclesia jurisdictionis gradus, veluti Patriarcharum, Metropolitanorum, etc., qui ex ecclesiastica institutione orti sunt « unde » ut ait S. Leo M. in Ep<sup>a</sup> ad Athanasium Thessalon. Episcopum « est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliolem, per quos ad unam Petri sedem universae Ecclesiae

cura conflueret, et nihil usquam a suo Capite dissideret. »

Quamobrem ordinis et jurisdictionis longe dispar est ratio, cum qui plures provincias tenet, plus jurisdictionis habeat, quam qui uni Provinciae vel Dioecesi praest; ordo autem unus semper idemque in omnibus perseverat. Denique jurisdictionis potestas alteri delegari potest: delegatur autem, cum quis alteri officium committit, ut illud sua vice et auctoritate exerceat.

Ex quibus omnibus colligitur, potestatem jurisdictionis 1. non per sacrum aliquem ritum, sed per simplicem juris aut hominis injunctionem acquiri: 2. interdum potestati ordinis jungi, copularique, saepius vero alteram ab altera omnino sejungi: 3. eandem variam esse, hoc est majorem, vel minorem pro varia Subditorum assignatione: 4. delegabilem esse: et 5. denique non perpetuo inhaerere, sed justis de causis tum moderari atque etiam adimi, tum ex quibusdam criminibus amitti posse.

---

## CAPUT II.

### DE EPISCOPIS.

#### § 4.

##### DE POTESTATE EPISCOPORUM.

Cum de Conciliis generalibus in Jure Ecclesiastico publico ageremus, dictum est Episcopos ad eadem Concilia jure divino vocandos esse, ut in quaestionibus fidei, morum, atque disciplinae suffragium ferant, propositasque quaestiones definiant; et quamvis iudicium Episcoporum non adeo exploratae auctoritatis sit, ut errori obnoxium esse nequeat, nisi Summus Pontifex accedat, et quae definita sunt auctoritate sua confirmet, Episcopi tamen in Conciliis generalibus non Consilarii,

neque Consultores, sed veri Judices habendi sunt. Praeterea Episcopi in extraordinariis Ecclesiae calamitatibus in unum locum per se convenire possunt, ut instanti necessitati provideant. Quae quidem omnia ad bonum et administrationem totius Ecclesiae pertinent. Hic vere de his omnibus non disserimus, sed de Episcopis acturi sumus, quatenus sunt particularium Dioecesium Rectores, et praesertim quae in eisdem Dioecibus sint eorum jura et officia explanabimus.

## § 5.

## DE JURIBUS ET OFFICIIS EPISCOPORUM.

Episcopus graeca vox est, quae latine *Inspectorem* significat. Episcopi enim debent diligenter inspicere, ne grex sibi traditus aliquid detrimenti capiat, ac pervigilare, ut ait Paulus ad Hebraeos 13 vers. 17 « quasi rationem pro animabus reddituri. » Est autem Episcopatus Sacerdotii fastigium et culmen, uti scripsit S. Ignatius ad Smyrnense: « Honorate Episcopum tanquam Principem Sacerdotum. » Et Sanctus Hieronymus in Psal. 43. « Principes Ecclesiae id est Episcopi constituti sunt: » et in Dialogo contra Luciferianos « Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet: » quare Tridentinum Concilium sess. 23 can. 7 definivit « Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema sit; » si quidem Episcopi virtute characteris Episcopalis Presbyteris antecellunt, propterea quod plura praestare possunt, quae simplices Sacerdotes omnino nequeunt. Qua de re Sancti Ecclesiae Patres Episcopis ipsis foecunditatem tribuunt, eo quod Presbyteros aliosque Episcopos generare possunt. Presbyteri vero adeo infoecundi sunt, ut alios Presbyteros ordinare non valeant. Episcopi praeterea Sacramentum Confirmationis conferunt, Sacrum Chrisma conficiunt, Ecclesias et altaria consecrant, calices et patenas benedicunt, multaque alia exsequuntur,

tur, quae simplices Presbyteri virtute solius ordinis perficere nequeunt.

Quamvis vero usus potestatis Episcopalis sit instar voluntariae, non contentiosae jurisdictionis, quam in sibi subditos explicare ubique possunt, Episcopi tamen in aliena Dioecesi eam potestatem, quotiescumque usus Pontificalium requiritur, exercere non possunt ex Decr. Conc. Trid. sess. 6 cap. 5 « Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi. »

Ratione vero potestatis Jurisdictionis quinque praecipua sunt Episcoporum jura et officia, *docere, jubere, judicare, corrigere, et administrare.*

Primum igitur munus et officium Episcopi est *docere* quae ab omnibus credenda, agendaque sunt; est enim Magister et Doctor in sua Dioecesi; praecipuum autem munus est praedicare, et si legitime impeditus fuerit, idoneos viros deligere ad ejusmodi officium salubriter obeundum. Praeterea quisvis sive Diaconus, sive Presbyter, sive etiam Episcopus in aliena Dioecesi sine proprii Episcopi licentia praedicare vetatur. Regulares vero ex decreto Concilii Tridentini sess. 5 cap. 2 de Reform. « de Superiorum suorum licentia etiam in Ecclesia suorum Ordinum praedicare non possunt, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant. In Ecclesiis vero quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum etiam Episcopi licentiam habere teneantur. » Quin imo eadem sess. cap. 4: « Nullus, » ait, « sive saecularis, sive regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat. » Concionatores Quadragesimae, sive Adventus, quorum diligentiorum facultas laicis facta est, eo quod honorarium eisdem

solvunt, ab Episcopo approbandi sunt. Eiusdem praeterea Episcopi est institutioni privatae et publicae, quae in Scholis habetur, ita invigilare, ut nihil tradatur quod fidei, moribus et disciplinae adversetur, et demum in Seminariis et Collegiis Magistros designare, aut approbare, qui docebunt quae videantur Episcopo expedire: Conc. Trid. sess. 23 cap. 18 de Reform.

Nemini denique libros imprimere vel imprimendos curare liceat sine venia Episcopi, neque libros quoscumque in aliquam civitatem introducere, vendere, vel legendos tradere, aut commodare, vel apud se retinere, nisi ante examinati probatique fuerint ab Episcopo sub poenis in Bulla Leonis X in Concilio Lateranensi anno 1512, et in Indice Librorum prohibitorum a Patribus Concilii Tridentini sancitis.

Alterum Episcopi jus et officium est *jubere*, namque non modo uti custos et vindex Sacrorum Canonum observantiam ipsorum promovet, poenasque jure communi sancitas ubi opus fuerit exasperat, verum etiam uti verus Legislator novas leges sive in Synodo, sive extra Synodum condit, easdemque ab se, vel suis Antecessoribus latas immutat, abrogat, vel dispensatione relaxat. Nemo autem dubitat, quin leges Episcopales in Synodo latae perpetuam vim habeant, sed in dubium ab aliquibus vocatur, an leges extra Synodum latae ipsius Episcopi morte cessent: verior autem sententia est has quoque leges perpetuas esse, tum quia natura legum ea est, ut sint perpetuae, tum quia sive in Synodo, sive extra Synodum conditae auctoritate ipsius Episcopi firmitatem accipiunt.

Igitur Episcopus praecipue jubet, quae ad populi mores ac fidem, et Sacrorum Ministrorum officia, sacrosque ritus pertinent, itemque publicas preces pro Ecclesiae necessitate, aliisque justis de causis indicit, orandi formulas minus pietati congruas abolet, vetatque abusus, qui in Indulgentias, in imagines et Reliquias Sanctorum, in Sacramentorum administrationem, et in Missarum celebrationem forte irrepserint.

Tertium Episcoporum jus et officium est *judicare*. Judicant autem causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, quae scilicet fidem, mores, disciplinam, Sacramenta, beneficia et alia hujusmodi spectant, tum etiam quae *mixti fori* dicuntur, id est tam ad forum Ecclesiae, quam ad forum Laicale pertinent, cujus generis sunt causae adulterii, perjurii, blasphemiae, et caeterae quae religionem simul et Rempublicam violant; tum denique causas omnes civiles seu criminales, in quibus Clerici conveniuntur, in prima instantia cognoscunt ac dirimunt. Vide Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 20 de Reform. ubi Ecclesiasticas causas agendi ratio apertissime praescribitur.

Quartum Episcoporum jus et officium est *corrigerere* non modo monitionibus et hortationibus, verum etiam, ubi hae nihil prosint, censuris, poenis canonicis, poenitentis salutaribus, multis etiam pecuniariis criminosos et contumaces coercere, quin imo graviorum criminum sotes, eosdemque contumaces a communione abscindere, et denuo si indubia poenitentiae signa dederint, in communionem recipere possunt.

Quintum denique Episcoporum jus et officium est *administrare*, quod jus et officium in eo positum est, ut 1. bona temporalia ad Ecclesias et Pia Loca pertinentia religiose administrantur, et omnis cura atque studium adhibeatur, ne eadem ullum detrimentum capiant vel pereant, tum etiam ut piae dispositiones vel mortis causa, vel inter vivos factae rite executioni mandentur. 2. Ut officia et ministeria Ecclesiastica praesertim ad curam animarum pertinentia dignis conferantur, et ab eis indigni arceantur, salvis semper juribus Apostolicae Sedis vel alterius legitimi collatoris. 3. Ut in Beneficiorum erectione, suppressione, divisione, atque etiam unione decreta Concilii Tridentini et regulae Canonicae observentur: de Episcopatum vero aliorumque Beneficiorum majorum erectione, suppressione, etc. dictum est in Libro secundo Ju-

ris publici Ecclesiastici § 27. 4. Denique in gerenda paterna cura miserabilium personarum, praesertim viduarum atque pupillorum.

Sed in usu potestatis Episcopalis regulae et modi servandi sunt, quos Sacri Canones posuerunt. Nequit itaque Episcopus in negotia Superiori potestati reservata falcem immittere, neque leges a Summis Pontificibus aut a Conciliis latas, quibus jus commune conficitur, immutare, nec quidquam contra statuere, aut super eisdem dispensare, propterea quod, ut ait Clemens VII, « lex Superioris per Inferiorem tolli non potest. »

Quando autem, et quomodo Episcopi possint sibi subditos a legibus etiam generalibus solvere, seu dispensare, vide quae dicta sunt eodem Libro secundo Juris publici Ecclesiastici § 54.

## § 6.

## DE RESIDENTIA.

Nemo dubitat quin Episcopi in propria Dioecesi residere teneantur. At quo jure, divino ne, an ecclesiastico tantum, ambiguum est. In Concilio Tridentino multa in utramque partem disputata sunt. « Cumque, » ut refert Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 7 cap. 1, « dissidentes inter se Patres haudquaquam invicem conciliari potuerint, tandem deliberatum est, ut novo quidem decreto cuncti animarum Pastores ad residentiam adigerentur, ac severae poenae contumacibus infligerentur: nihil tamen definiretur de jure, quo iidem continue inter suas oves versari tenentur; quin imo ita decretum concinnandum Patres duxere, ut nihil inde alterutri sententiae detraheretur. » Sed communior sententia est, residendi onus a jure divino proficisci, quin imo Fagnanus ad cap. EX PARTE cap. 21: « Nullus », inquit » antiquorum con-

tradicebat, quin Pastores animarum tenerentur sub praecepto divino ad personaliter residendum. »

Sunt tamen aliquae legitimae causae, propter quas ex Apostolicae Sedis dispensatione licet Episcopis a propria Dioecesi abesse: sic autem enumerantur ab eodem Concilio sess. 23 de Reform. cap. 1: « Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas. » Praeterea ex leviori alia, aequa tamen causa eadem Synodus patitur, ut Episcopi quolibet anno duos, tresve ad summum menses, sive continuos, sive interruptos nulla petita venia extra Dioecesim morari possint, dummodo « id fiat absque ullo gregis detrimento, quod, an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore. » De his omnibus in primis legenda est Constitutio Benedicti XIV Ad UNIVERSAE die 3 Septembris 1746. At vero si Episcopus adversus residentiae legem abfuerit, poena amissionis fructuum mulctatur, et ita quidem, ut qui sex menses abfuit, quarta parte fructuum unius anni privetur, in fabricam Ecclesiae aut levamen pauperum eroganda, qui alios sex menses, aliam pariter quartam partem ipso jure amittat, et qui diutius adhuc abfuerit, gravioribus poenis a Romano Pontifice plectatur.

## § 7.

## DE VISITATIONE DIOECESIS.

Residentia Episcoporum materialis esse non debet et otiosa, sed formalis et laboriosa, cum Episcopalis dignitas *nomen sit oneris, non honoris*, August. lib. XIX de Civit. Dei cap. 19, et ad cultum divinum atque ad procurandam animarum salutem ordinata sit. Cum autem Pastoralis cura omnes Dioecesis Ecclesias complectatur idcirco inter Episcoporum officia frequens Dioecesis visitatio recensetur. Itaque Concilium Tri-

dentinum jure merito praecipit, ut Episcopus singulis annis visitationem Dioecesis instituat, quam si propter ejusdem Dioecesis latitudinem intra annum explere nequeat, biennio saltem absolvat. Per se autem debent Episcopi Dioecesim visitare, nisi mala valetudine, aut alia ex causa detineantur: tunc vero eam visitationem Vicario Generali, aut alteri probato Clerico demandare jubentur ex decreto Concilii Tridentini sess. 24 cap. 3 de Reform. quo derogatum est capiti UR ARCHIDIACONUS de offic. Archid. ubi impedito Episcopo facultas Archidiacono tribuebatur Dioecesim quolibet triennio visitandi.

Scopus autem visitationis est sanae et orthodoxae doctrinae inductio, morum emendatio, lapsae disciplinae restitutio, et recta ordinatio rerum omnium, quae ad personas, resque ecclesiasticas pertinent. Itaque visitatio *personalis* est et *realis*. Visitatio personalis est inquisitio de vita et moribus personarum, deque earum officiis, videndi causa, an eisdem rite fungantur. Realis est inquisitio de administratione, custodia et statu Ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum, de legatorum aliorumque piorum onerum satisfactione, deque aliis rebus hujusmodi. Sacra Congregatio Concilii censuit Episcopum non posse visitare, si aliter a Fundatoribus statutum fuerit: posse tamen in casu negligentiae Administratorum deputatorum ab ipsis fundatoribus in juxta Cap. TUA NOBIS de testam. ex tom. I Decret. existen. in Archiv. Congregat. Concilii.

Personalem visitationem nemo est qui declinari possit, atque idcirco Episcopi de moribus omnium Christianorum inquirunt. Speciatim vero personas ecclesiasticas visitant, propterea quod ex bona, aut mala Clericorum vita institutio laicorum maxime pendet. Huic visitationi subsunt etiam Regulares curam animarum habentes, in iis tamen, quae ipsam animarum curam et Sacramentorum administrationem spectant, eosque Episcopus corrigere potest, si non resideant, si

non praedicent, aliisque parochialibus muneribus rite recteque non fungantur.

Visitationi reali, seu locali subsunt Ecclesiae omnes et beneficia, item hospitalia, Collegia et Confraternitates Laicorum, non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt sine ipsorum licentia, Montes pietatis, et omnia Loca Pia, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, et exemptionis privilegio sint munita, ac demum omnia, quae ad Dei cultum, ad animarum salutem, ad pauperes sustentandos instituta sunt, Conc. Trid. sess. 22 de Ref. cap. 8. Paeterea Tridentini Patres decreverunt, ut Episcopus tanquam Apostolicae Sedis delegatus visitaret Capitula etiam exempta; quae de re praeclare agit Benedictus XIV de Synodo Dioeces. lib. 13 cap. 9, tum Monasteria in commendationem data, in quibus regularis disciplina non viget, et omnia beneficia etiam exempta, tum in Ecclesiis suae Dioecesis, tum etiam in Ecclesiis saecularibus, quae *in nullius Dioecesi* esse dicuntur, dummodo Cathedralis Ecclesia Episcopi visitantis majori Ecclesiae *nullius* sit proximior.

De Visitatione Ecclesiarum Regularium inspicienda est Constitutio ejusdem Pontificis Benedicti XIV, quae incipit FIRMANDIS ATQUE ASSERENDIS edita anno 1745.

In visitanda Dioecesi expedit, Episcopum non judicis, sed patris potius personam induere, nec processus conficere, nec sententias proferre, sed in iis quae manifesta sunt, nec multi examinis indigent, sine formulis judiciariis, sed sola summaria cognitione procedere, et paterna caritate ac mansuetudine correctionem potius adhibere quam poenas. Ubi autem de visitatione et morum correctione agitur, nulla exemptio, inhibitio, appellatio, seu querela executionem eorum quae decreta vel mandata sunt impedit, aut suspendit: tantummodo appellationi *in devolutivo*, ut dicitur, locus esse poterit. At si Episcopus confecto processu, servatisque juris solemnitatibus quidquam decreverit, vel judicaverit, ab ejus sententia ap-

pellatio tum *in devoluto*, tum etiam *in suspensivo* tribuitur, qua executio suspenditur, et causa ad majorem Judicem defertur.

## § 8.

## DE PROCURATIONIBUS.

Episcopo Sacra Visitatione Dioecesim Iustranti debentur procurationes, sive sumptus ad victum necessarii: *procurare* enim hoc loco est alimenta praebere. Hac de re Tridentina Synodus sess. 24 cap. 3 de Reform. sancivit: 1. Nihil ut Episcopus vel sponte oblatum occasione, seu causa visitationis reciperet praeter procurationes, quae sibi, suoque honesto comitatu frugaliter et moderate praestandae sunt. 2. Ut iis qui visitantur, optio esset aut solvendi eam pecuniae vim, quae antea Episcopis ex jure vel consuetudine pendebatur, aut ipsa victualia in specie subministrandi, salvis antiquis pactionibus, quae cum Monasteriis aliisque Locis piis, aut Ecclesiis non parochialibus initae fuissent. 3. Ut si aliquibus in locis visitationes gratuitaesse consueverint, recepti mores servarentur. 4. Ut si quid amplius acceptum fuisset, Episcopus intra mensem tum poena dupli restituendi, tum aliis poenis arbitrio Synodi provincialis mulctaretur.

Caeterum Episcopo bis aut saepius eodem anno Dioecesim Iustranti, unica tantum procuratio debetur, quod S<sup>a</sup> Congregatio Episcoporum et Regularium an. 1586 et S<sup>a</sup> Congregatio Concilii die 18 Septembris 1682, et deinde Kalendis Junii 1733 declaraverunt. Huc etiam pertinet altera decisio ejusdem S<sup>a</sup>e Congregationis Concilii die 28 Julii 1708, *in causa Ostunen. procurationis* qua rescripsit Vicario Capitulari Dioecesim visitanti deberi medietatem procurationum, quae Episcopo solvi consueverunt.

Procuraciones autem praestandae sunt ab omnibus Ecclesiis Sacrae Visitationi obnoxii, et a Clericis beneficiariis dum vi-

sitantur, idque pro modo facultatum, aut pro recepta consuetudine; non tamen a laicis, neque ab Ecclesiis vi exemptionis, privilegii, vel consuetudinis hoc onere solitus, nec denique ab Ecclesiis Cathedralibus, quod Episcopus nullis extra ordinem impensis in earum visitatione oneratur.

## § 9.

## DE CATHEDRATICO.

Olim Episcopo Dioecesim visitanti Cathedralicum solvi consuevit, quo nomine intelligitur certa pensio singulis annis Episcopo solvenda, idque in argumentum subjectionis et honoris, qui Cathedrali Ecclesiae tanquam matri a caeteris Ecclesiis tribui debet. Vocatur etiam Synodaticum, quod in Synodo exigeretur, interdum etiam *pensio paschalis* vocari consuevit, ideo quod Synodus plerumque post Pascha celebraretur. Nullum ferme jus Cathedralicum antiquius est, illudque veteres Canones in certa quantitate taxarunt, ita ut duos solidos non excederet, de quorum aestimatione concertant Canonistae; at vero locorum consuetudo servanda est. Jus istud Tridentina Synodus non sustulit, sed vetuit tamen in visitatione exigi, quod multis probat Fagnanus in cap. *CONQUERENTE* de Off. Ordinarii. Cathedralicum ad legem Dioecesanam pertinere dicitur: lex enim dioecesana est jus alicujus rei petendae recipiendaeque. Hinc praeter procurationem et Cathedralicum Episcopus ex lege dioecesana exigit 1. *subsidiium caritativum*, seu moderatum subsidiium ex manifesta et rationabili causa a Clericis tribuendum; 2. *quartam decimationem*, seu quartam partem decimarum, et *quartam mortuariam* seu funerum, quae et canonica portio, seu quarta Episcopalis dicitur, atque Episcopo debetur ex legatis et oblationibus quae Ecclesiae relictasunt. Utraque haec quarta nititur veteri partitione bonorum, ex qua Episcopus quartam omnium reddituum

ecclesiasticorum recipiebat; in hisce omnibus consuetudo cuiusque Dioecesis retinenda est. Confer Benedictum XIV de Syn. Dioec. lib. 5 cap. 6 et 7, ubi multa de his Episcoporum juribus disputantur.

## § 10.

## DE ADJUTORIBUS EPISCOPORUM.

Quoniam Episcopi ad gravissima munera vocati sunt, aliorum ope et auxilio prorsus indigent. Hinc Episcopis Adjutores aliqui semper fuerunt, quorum alii ex veteri, alii vero ex nova Ecclesiae disciplina ortum habent. Huc pertinent Chorepiscopi, Archipresbyteri et Decani, Archidiaconi, Vicarii suffraganei, et Coadjutores, Canonici, Parochi et Regulares.

De Chorepiscopis satis multa dicta sunt in jure Ecclesiastico publico, quae potius ad eruditionem pertinent, quandoquidem eorum ordo, ineunte saeculo decimo, prorsus extinctus fuerit. Dicemus itaque de aliis Episcoporum Adjutoribus, et primum de Archipresbyteris et Decanis.

## § 11.

## DE ARCHIPRESBYTERIS ET DECANIS.

Nomen Archipresbyteri antiquissimum est, quo Presbyterorum primus intelligitur. Apud Latinos Archipresbyter erat, qui ordinationis antiquitate alios Presbyteros anteibat, verum apud Graecos non aetati, aut ordinationis antiquitati, sed maxime virtuti et merito gradus iste tribuebatur. Unus olim fuit in singulis Dioecesibus Archipresbyter, qui in Ecclesia Cathedrali residebat, tanquam Episcopi Vicarius in eis omnibus quae ad sacra ministeria et forum internum pertinerent. Igitur proxime post Episcopum divinis officiis navabat operam,

caeteris Presbyteris praeerat, curabatque ut sua munera diligenter obirent, eorumque moribus invigilabat, et absente aut impedito Episcopo ad Archipresbyterum spectabat Missae sacrificium offerre, Sacramenta ministrare, benedictionem impertire, et caetera id genus agere, quorum mentionem faciunt cap. 1, 2 et 3 DE OFFIC. ARCHIP.

Lapsu temporis ruri quoque constituti sunt Archipresbyteri, *rurales* proinde dicti, qui ferme in locum Chorepiscoporum successerunt. Rurales Archipresbyteri vocati sunt etiam *Decani*, quia nimirum Dioeceses in varios, certosque districtus, seu decanias distributae erant ac singulis decaniis suis Archipresbyter praeficiebatur. Munus autem Archipresbyteri ruralis, seu Decani sic describitur in cap. 4 DE OFFIC. ARCHIP. « Non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerat, verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiat, et qua quisque industria divinum opus exerceat Episcopo suo renunciat. »

## § 12.

## DE ARCHIDIACONIS.

Quemadmodum Archipresbyter urbis in muneribus ordinis Sacerdotalis, ita Archidiaconus in externa jurisdictione et administratione Episcopis subsidio erat. Ex ordine Diaconorum Archidiaconus eligebatur, qui caeteris rerum gerendarum dexteritate praestaret. Amplissima olim fuit Archidiaconorum potestas, cum omnia pene negotia ecclesiastica ipsorum ministerio peragerentur. Archidiaconus enim non solum Episcopo sacris operanti aderat, et officia Diaconorum propria exsequabatur, verum etiam Diaconis et inferioribus Clericis suum cuique locum et officium in Ecclesia assignabat, oblationes aliosque Ecclesiae redditus administrabat, et ratam portionem in Clericos, in pauperes, et in Ecclesiae fabricam partiebatur,